Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26515
Copyright: Admont, Benediktinerstift



fatentur enim omne bonum non esse posse nisi a summo
et verbo deo. quod et verum est. et ad eos corrigen
dos si velint advertere sufficit. Nos enim
catholici christiani deum colimus. a quo omnia bona
sunt. sive magna sive parva. a quo omnis
modus est. seu magnus seu parvus. a quo omnis
species. sive magna. sive parva. a quo omnis
ordo. sive magnus. sive parvus. Omnia
enim quanto magis moderata. speciosa. or
dinata sunt. tanto magis utique bona
sunt. Quanto minus moderata. minus speci
osa. minus ordinata sunt. minus bona sunt.
Hec itaque tria. modus. species. et ordo. ut
de innumerabilibus taceam. que ad ista tria
pertinere monstrantur; hec ergo tria. modus.
species. ordo. tamquam generalia bona sunt.
in rebus a deo factis sive in spiritu. sive in
corpore. Deus itaque super omnem creaturę
modum est. supra ordinem omnem. nec spa
tiis locorum. supra est. sed ineffabili et sin
gulari potentia. a quo omnis modus. omnis
species. omnis ordo; hec tria ubi magna
sunt. magna bona sunt. ubi parva sunt.
parva bona sunt. ubi nulla sunt. nul